

T6

## Argonautica VII, 101-152

## Il tormento d'amore

- Talibus attonitos dictis natamque patremque  
 linquit et infida praeceps prorumpit ab aula.  
 At trepida et medios inter deserta parentes  
 virgo silet nec fixa solo servare parumper  
 105 lumina nec potuit maestos non flectere vultus  
 respexitque fores et adhuc invenit euntem,  
 visus et heu miserae tunc pulchrior hospes amanti  
 discedens; tales umeros, ea terga relinquit.  
 Illa domum atque ipsos paulum procedere postes  
 110 optat, at ardentes tenet intra limina gressus.  
 Qualis ubi extremas Io vaga sentit harenas  
 fertque refertque pedem, tumido quam cogit Erinys  
 ire mari Phariaeque vocant trans aequora matres,  
 circuit haut aliter foribusque impendet apertis  
 115 an melior Minyas revocet pater, oraque quaerens  
 hospitis aut solo maeret defecta cubili  
 aut venit in carae gremium refugitque sororis  
 atque loqui conata silet rursusque recedens  
 quaerit, ut Aeaëis hospes consederit oris  
 120 Phrixus, ut aligeri Circen rapuere dracones.  
 Tum comitum visu fruitur miseranda suarum  
 implerique nequit subitoque parentibus haeret  
 blandior et patriae circumfert oscula dextrae.  
 Sic adsueta toris et mensae dulcis erili  
 125 aegra nova iam peste canis rabieque futura  
 ante fugam totos lustrat queribunda penates.  
 Tandem etiam molli semet sic increpat ira:  
 “Pergis,” ait “demens, teque illius angit imago  
 curaque, qui profuga forsitan tenet alta carina  
 130 quique meum patrias referet nec nomen ad urbes?  
 Quid me autem sic ille movet, superetne labores  
 an cadat et tanto turbetur Graecia luctu?  
 Saltem, fata virum si iam suprema ferebant,  
 iussus ad ignotos potius foret ire tyrannos  
 135 o utinam tandem non hac moreretur in urbe!  
 Namque et sidereo nostri de sanguine Phrivi  
 dicitur et caram vidi indoluisse sororem,  
 seque ait has iussis actum miser ire per undas.  
 At redeat quocumque modo meque ista precari  
 140 nesciat atque meum non oderit ille parentem”.  
 Dixerat haec stratoque graves proiecerat artus,  
 si veniat miserata quies, cum saevior ipse  
 turbat agiturque sopor; supplex hinc sternitur hospes,  
 hinc pater. Illa nova rumpit formidine somnos

- 145 erigiturque toro. Famulas carosque penates  
agnoscit, modo Thessalicas raptata per urbes,  
turbidus ut Poenis caecisque pavoribus ensem  
corripit et saevae ferit agmina matris Orestes;  
ipsum angues, ipsum horrisoni quatit ira flagelli
- 150 atque iterum infestae se fervere caede Lacaenae  
credit agens falsaque redit de strage dearum  
fessus et in miserae conlabitur ora sororis.